

mortem, siue obedientiæ ad iustitiam, eius serui estis. Hoc dicit apertissimè vers. 16. At serui peccati nec estis nec esse debetis. *Non estis*: quoniam fuistis olim, esse desiistis, postquam ex corde obediistis formæ doctrinæ, in quam traditi estis, non vestro ingenio, sed Dei gratia. *Non esse debetis*: quia liberati estis à peccato, semel ei mortui: contra serui facti iustitiæ, obligati ei ad obedientiam. Ne igitur sistatis vos seruos peccato ad mortem, sed iustitiæ ad vitam. AN NESCITIS?) Interrogatione redarguit quasi nimis stupidos, si id ignoremus, quod multoties inculcauit, & sensus communis dicit. Non igitur ignorare hoc possumus, debemus. Qui peccatis vtrò se dedunt, cui seruiant viderint.

PECCATI AD MORTEM) Adspersit argumentum à perniciosa mercede, quæ manet seruos peccati: id postea pluribus vrgebit. VEL OBEDIENTIÆ AD IUSTITIAM) Videtur quædam hypallage: pro iustitiæ ad obedientiam. Sed sensus idem. Obedientiam intelligit Dei, gratiæ, fidei: nam seruitus Dei in obedientia consistit.

17. GRATIA AVTEM SIT DEO) Voto nos excitat, vt quantæ molis fuerit nos eripere à peccati & Satanæ seruitute cogitemus, neque rem leuem peccatum ducamus. Non nisi morte filii Dei redimi potuimus. Quod qui grata mente recolunt, fieri non potest, quin toto pectore ad miseriam suam mentionem cohorrescant, serioque peccati seruitium detestentur. Et nos igitur grata mente perpetuò recolamus, vt perpetuò abhorreamus. Quatuor breuissime innuit magni momenti doctrinas: I. *Qui & quales* fuerimus nos ante gratiam, nunc sint omnes extra Christum, Iudæi & gentes. Serui peccati, mortis, Satanæ. II. *Quomodo* hac seruitute liberati simus: Gratia Dei, qua

A Filium nobis dedit redemptorem, gratis nos iustificans, & donans Spiritum sanctum. III. *Quomodo* gratiæ huius redamur participes: Per obedientiam doctrinæ gratiæ, metalepsis effectus pro causa, hoc est, fidem, quæ est efficax per dilectionem & obedientiam. IV. *Vnde hac fides*: Ex eadem gratia Dei, qua non tam nobis tradit doctrinam, quam nos ipsos tradit doctrinæ, cuius ex nobis capaces non sumus. *τύπον διδασχῆς*)

B Intelligit doctrinam Euangelii, apostolica methodo verbis & sententiis perspicuis traditam, à Paulo hic repetitam. Passim hæc forma nobis commendatur, 2. Timoth. 1. 13. vocatur *ἁπλοῦς* sanorum sermonum, à qua forma nulatenus sit deflectendum. Ibidem. cap. 2. 15. Apostolus præcipit rectè secare sermonem veritatis: quæ loca ostendunt, Ecclesiam Apostolicam methodicè fuisse institutam concionibus & epistolis, quas habemus. Retineamus igitur hunc typum, maximè hac epistola descriptum. Bellarminus desiderat catechismum Apostolicum. Habet hæc quod desiderat.

Bell. lib. 4.
cap. 4. le
verbo.

18. LIBERATI A PECCATO: Versus est planus: connectit iam totum argumentum: & vtramque partem libertatis Christianæ coniungit: libertatem à peccato, & seruitutem iustitiæ. Ad eandem igitur cum superioribus doctrinam pertinet.

19. HUMANVM (QVID) DICO, PROPTER INFIRMITATEM) Conclusio est superioris argumenti à libertate & seruitute Christiana, figurata cōparatione pristini & præsentis status: sicut prius fuimus impura mancipia peccati ad patranda iniquitatem: ita deinceps nos nostraque mancipemus iustitiæ ad sanctificationem. Dixerat nos dominum mutasse, & ex seruis peccati seruos iustitiæ factos esse. Ponit ergo ob oculos pristinam seruitutem, quam tenuit turpis, & quam fuerimus nos